

# SCRIPTA

---

**Numéro Scripta :** 8482

**Auteur(s) :** Saint-Georges-Buttavent, Notre-Dame de Fontaine-Daniel (abbaye)

**Bénéficiaire(s) :** Savigny-le-Vieux, Sainte-Trinité de Savigny (abbaye)

**Genre d'acte :** notice

**Authenticité :** non suspect

**Datation :** 1205, 24 mars

**Action juridique :** autre

**Langue du texte :** latin

## Analyse

Accord entre l'abbaye de Savigny et l'abbaye de Fontaine-Daniel portant limitation des territoires dans lesquels les deux établissements pourront élever des constructions ou acquérir des immeubles.

## Tableau de la tradition

### Éditions principales

a. Laurain Ernest, « Chartes de Fontaine-Daniel et de Montguyon », *Bulletin de la Commission historique et archéologique de la Mayenne*, 2e série, t. 23, 1907, p. 300-301.

Texte d'après a

Cyrographum.

Notum sit presentibus et futuris quod cum abbas et monachi Savignienses, ad petitionem domini Juhelli de Meduana, concessissent ut abbatia, que apud Harpereiam fundata erat, intra terminos abbatie Savigniensis transferretur, videlicet in locum de Saletio qui nomine Fons Danielis appellatur, ad pacis et caritatis integritatem inter utramque abbatiam perpetuo conservandam, talis ad invicem compositio amicabiliter firmata est. Monachi Savignienses acquirere poterunt licenter terras et pasturas et edificare grangias et bergereias usque ad vicum Sancti Georgii de Quiteio, circumquaque extra forestam de Meduana, sicuti eis licebat antequam abbatia illa fundaretur. Monachi vero de Fonte Danielis extra predictam forestam nec grangias nec bergereias edificabunt a predicto vico Sancti Georgii et a castello de Ambreiiis versus Savigniacum nec alibi circa Savigniacum per tantum spacium terrarum quantum a vico Sancti Georgii usque Savigniacum continetur. Omnia autem alia, que eis data fuerint in elemosinam infra predictos terminos, recipere poterunt et licite possidere. Emptiones tamen infra dictos terminos facere non poterunt quas monachi Savignienses pro eodem precio sibi voluerint retinere ; et quoniam dominus Juhellus de Meduana et Isabel, mater ejus, et Mauricius de Creono, Petrus et Amaurricus, fratres ejus, et Haoisa de Laval et Constantia, sorores eorum, et Guillelmus de Guirchia, antequam abbatia de Fonte Danielis fundaretur, se dederant monasterio Savigniensi et ibi sibi elegerant sepulturam, eos monachi de Fonte Danielis recipere non valebunt.

Quod ut firmiter futuris temporibus observetur, presenti cyrographo confirmatum est, cujus pars altera sigillis abbatum Cisterciensis, Clarevallensis, Savigniensis, altera vero sigillis abbatum Cisterciensis, Clarevallensis, Clarimontensis et de Fonte Danielis munita est. Actum anno ab incarnatione Domini millesimo ducentesimo quarto, vigilia dominice Annuntiationis.